

» per illam<sup>1</sup>? » Hanc viam exterminabit Dominus; quia ipsa est via peccatorum.

XX. Et dum exterminata fuerit via peccatorum, quid nobis restat? « Venite, benedicti Patris mei, percipite » regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi<sup>2</sup>. » Ad hoc concludit Psalmus: « Et viam peccatorum exterminabit. » Et qui tu? « Regnabit Dominus in æternum<sup>3</sup>. » Gaude, quia tibi regnabit: gaude, quia tu eris regnum ejus. Vide enim et quid sequitur. Es certe civis de Sion, non de Babylonia, id est, non de civitate peritura hujus sæculi, sed de Sion ad tempus laborante et peregrinante, in æternum autem regnatura. Audisti ergo finem, inde es. « Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, » Sion. » O Sion, Deus tuus regnabit in æternum: numquid sine te regnabit Deus tuus? « In generationem et » generationem. » Bis dixit, quia non potuit semper dicere. Nec putes quia verbis finitis finitur æternitas. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est. Non potuit tibi nisi sic commendari, « Deus tuus regnabit in » generationem et generationem. » Parum dixit: si tota die diceret, angustum esset: si tota vita sua diceret, nonne aliquando conticesceret? Ama æternitatem: nullo fine regnabis, si finis tibi Christus est, cum quo regnabis in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Matth. vii, 13. — <sup>2</sup> Id. xxv, 34. — <sup>3</sup> Psal. cxlv, 10.

## ENARRATIO

## IN PSALMUM CXLVI.

Sermo ad populum<sup>1</sup>.

I. INTENTI audiebamus, cum Psalmus præsens cantaretur: et non omnes qui audiebamus, etiam intelligebamus. Quanto magis ergo intente nunc audiendus est, si ut spero et cupio, adjuvantibus omnium audientium orationibus, si quid hic forte obscurum est, Deo donante revelabitur; ut sit fructuosus auditus, nec inanis redeat auditor, qui intentus affuit cum audiret? Unde coepit? Nobis dicitur: « Laudate Dominum. » Dicitur hoc omnibus gentibus, non solis nobis. Et istam vocem per loca quidem singula sonantem a lectoribus, singillatim audiunt Ecclesiae: una vox tamen Dei super omnes non tacet, ut laudemus eum. Et quasi quæreremus quare laudare Deum debeamus, videte quam causam attulit: « Laudate Dominum, inquit, » quoniam bonus Psalmus<sup>2</sup>. » Hæc est merces tota laudantium? Laudemus Dominum. Quare? « Quoniam bonus Psalmus. » Vellem ego, inquit aliquis, laudare Dominum, si mihi aliquid pro ista laude donaret. Quis enim laudet gratis vel hominem? Expectant ergo aliquam mercedem laudatores hominum: nullam-ne mercedem expectare, aut petere, aut sperare debet laudator Dei? Laudatur infirmus, et speratur de eo aliquid: laudatur

<sup>1</sup> Sermo ad populum forte carthaginensem, ex n. 17. — <sup>2</sup> Psal. cxlvi, 1.



Omnipotens, et nulla merces est? An forte hoc cupio, quod ille dare non potest? Quid homo desiderat, quod in manu Dei non sit? Cum laudaveris hominem, forte hoc cupis quod ab illo præstari non potest: Deum securus lauda, quem nemo potest dicere non posse præstare, quod tu poteris desiderare. Proposita ergo spe mercedis alicujus laudare debemus Deum, non tamen daturum quidquid cupimus. Pater est enim, et quod mali cupiant filii, non dat. Laudemus, et speremus, et desideremus, non illud aut illud; sed quod judicat dandum esse, quem laudamus. Ille enim novit quid nobis dari expediat, nos autem intendamus quid nobis prosit accipere. Apostolus ait: « Quid enim oremus sicut oportet, nescimus<sup>1</sup>. » Et ipse idem apostolus Paulus sperabat sibi prodesse, si auferretur ab eo stimulus carnis suæ, angelus Satanæ a quo colaphizabatur, sicut ipse confitetur, et ait: « Propter » quod Dominum ter rogavi, ut auferret eum a me; et » dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur<sup>2</sup>. » Desideravit aliquid, non concessum est ad voluntatem, ut consuleretur ad sanitatem. Hic ergo quid nobis propositum est? « Laudate, inquit, Dominum. » Quare laudemus Dominum? « Quoniam bonus est Psalmus. » Ipse Psalmus laus Domini est. Hoc ergo ait: Laudate Dominum, quoniam bonum est laudare Dominum. Non sic prætereamus laudare Dominum. Dictum est, et transiit; factum est, et siluimus; laudavimus, et tacuimus; cantavimus, et conquievimus. Imus in aliud forte agendum quod restat, et aliæ actiones cum occurrerint nobis, laudatio divina cessabit in nobis? Non sic: nam lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet. Inde ergo bonus Psalmus.

II. Psalmus quippe cantus est, non quilibet, sed ad

<sup>1</sup> Rom. viii, 26. — <sup>2</sup> 2 Cor. xii, 7-9.

psalterium. Psalterium autem quoddam organum est cantilenæ, sicut lyra, sicut cithara, et hujusmodi organa, quæ inventa sunt ad cantandum. Qui ergo psallit, non sola voce psallit; sed assumpto etiam quodam organo, quod vocatur psalterium, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo psallere? Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaveris, silebis aliquando: vita sic canta, ut nunquam sileas. Negotium agis, et fraudem cogitas; siluisti a laude Dei: et quod gravius est, non solum a laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. Cum enim Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem cantæ voce: corde ne sileas, vita ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cum manducas et bibis, psalle; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo. Quia hoc dicit Apostolus: « Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite<sup>1</sup>. » Si ergo bene agis quod et manducas et bibis, et ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia; et cibus tuus et potus tuus laudat Deum: si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum et potum requiescis, ut dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas ultra concessam licentiam in lege Dei: sit castus cum conjuge torus: et si est cura propagandi liberos, non sit effrenata

<sup>1</sup> 1 Cor. x, 31.



luxuries libidinum : defer in lecto tuo conjugii tuæ ; quia membra Christi estis ambo <sup>1</sup>, ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati : Hæc agens laudas Deum, nec omnino silebit laudatio tua. Quid cum somnus advenerit? Et cum dormis, non te excitet a quiete mala conscientia tua ; et innocentia somni tui laudat Deum. Si ergo laudas, non tantum lingua canta, sed etiam assumpto bonorum operum psalterio : « Quoniam bonus Psalmus. » Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum et potum capis, laudas cum in lecto requiescis, laudas cum dormis : quando non laudas ? Perficietur in nobis laudatio Dei, cum ad illam civitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales Angelis Dei <sup>2</sup> ; quando nos nulla corporalis necessitas ulla ex parte sollicitat, non fames, non sitis interpellat, non æstus fatigat, non frigus constringit, non febris dejicit, non mors finit. Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione ista in bonis operibus.

III. Propterea cum dixisset : « Laudate Dominum, » quoniam bonus Psalmus : Deo nostro, inquit, jucunda sit laus. » Quomodo erit Deo nostro jucunda laus ? Si bene vivendo laudetur. Audi quia tunc erit illi jucunda laus. Alio loco dicitur : « Non est speciosa laus in ore peccatoris <sup>3</sup>. » Si ergo in ore peccatoris speciosa laus non est, jucunda non est : hoc enim jucundum, quod speciosum. Vis ergo ut Deo tuo jucunda sit laus ? Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. « Deo nostro » jucunda sit laus. » Quid dixit ? Qui laudatis, bene vivite. Laudatio impiorum offendit Deum. Plus ille attendit quid vivas, quam quid sones. Certe cum eo quem laudas, pacem habere vis : quomodo cum illo quæris pacem, quando a te ipso dissonas ? Quomodo, inquires, a memet ipso dissono ? Aliud sonat lingua, aliud indicat vita. « Deo

<sup>1</sup> 1 Cor. vi, 15. — <sup>2</sup> Matth. xxii, 30. — <sup>3</sup> Eccli. xv, 9.

» nostro jucunda sit laus. » Potest enim laus jucunda esse homini, cum audit concinnis acutisque sententiis et suavi voce laudantem : sed « Deo nostro jucunda sit laus ; » cujus aures, non ad os, sed ad cor ; non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent.

IV. Quis est Deus noster, cui jucunda sit laus ? Dulcessit nobis, commendat se nobis : gratias dignationi ejus. Dignatur enim commendare se nobis, non quasi aliquid præstaturis, sed multa ab illo potius accepturis. Quomodo ergo commendat se nobis Deus ? Audite apostolum Paulum : « Commendat autem, inquit, dilectionem suam » Deus in nobis. » Quomodo commendat ? Audite, ipse dicat Apostolus, ut comparetur et Psalmo : « Commendat, inquit, dilectionem suam Deus in nobis. » Quomodo commendat ? « Quoniam cum adhuc peccatores » essemus, Christus pro nobis mortuus est <sup>1</sup>. » Quid ergo servat laudatoribus, qui sic se commendat peccatoribus ? Quia ergo sic dixit Apostolus commendasse Deum nobis dilectionem suam, ut Christus moreretur pro impiis ; non ut impii remanerent, sed ut morte justis ab injustitia sanarentur : hic quid audis, cum dixisset : « Deo nostro » jucunda sit laus ? » Videamus si ipsa est commendatio, quam dixit Apostolus : « Quia Christus pro peccatoribus » et pro impiis mortuus est. Ædificans, inquit, Jerusalem Dominus, et dispersiones Israël colligens <sup>2</sup>. » Ecce ædificans Jerusalem Dominus, colligens dispersiones populi ipsius. Populus enim Jerusalem, populus Israël. Est Jerusalem æterna in cælis, ubi cives etiam Angeli sunt. Quid ergo ibi Israël ? Si hominem illum nepotem Abrahamæ consideres, qui dictus est et Jacob ; quomodo Angelos intelligimus Israël ? Si interpretationem nominis discutimus, quia et ipse Jacob mutato nomine vocatus est Is-

<sup>1</sup> Rom. v, 8, 9. — <sup>2</sup> Psal. cxlvi, 2.



raël<sup>1</sup>, magis ibi nomen Israël : et utinam et nos sequentes simus Israël. Quid enim interpretatur Israël? Videns Deum. Omnes ergo cives illius civitatis, videndo Deum gaudent in illa magna civitate et ampla et cœlesti, spectaculum eis Deus ipse est. Sed nos ab illa civitate peregrinamur, peccato expulsi, ne ibi maneremus; et mortalitate prægravati, ne illo rediremus. Respexit Deus peregrinationem nostram, et ille qui ædificat Jerusalem, restituit lapsam partem. Unde restituit lapsam partem? « Dispersiones Israël colligens. » Cecidit enim pars quædam, et facta est peregrina: hanc peregrinam misericorditer vidit Deus, et quæsivit non quærentes se. Unde quæsivit? quem misit ad captivitatem nostram? Misit Redemptorem, secundum quod ait Apostolus: « Commendat Deus dilectionem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est<sup>2</sup>. » Misit ergo ad captivitatem nostram Redemptorem Filium suum. Porta, inquit, tecum saccum, ferto ibi pretium captivorum. Induit enim se ille mortalitatem carnis, et ibi erat sanguis, quo fuso redimeremur. Illo sanguine collegit dispersiones Israël. Et si ille collegit olim dispersos, quomodo satagendum est ut colligantur modo dispersi? Si collecti sunt dispersi, ut in manu artificis ad ædificium formarentur; quomodo colligendi sunt, qui de manu artificis inquietudine ceciderunt? « Ædificans Jerusalem Dominus. » Ecce quem laudamus, ecce cui laudem tota vita nostra debemus. « Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersiones Israël colligens. »

V. Quomodo colligit? quid agit, ut colligat? « Qui sanat contritos corde<sup>3</sup>. » Ecce quomodo colliguntur dispersiones Israël, ut sanentur contriti corde. Qui cor non conterunt, non sanantur. Quid est contere cor? Notum

<sup>1</sup> Gen. xxxii, 28. — <sup>2</sup> Rom. v, 8. — <sup>3</sup> Psal. cxlvi, 3.

sit, charissimi: fiat, ut sanari possitis. Dictum est enim multis aliis Scripturarum locis; et maxime illo loco, voce nostra quidam cantans, dicebat: « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique. » Deo dicebat: « Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis autem non delectaberis. » Quid ergo? Sine sacrificii oblatione remanebimus? Audi quid te velit offerre. Sequitur, et dicit: « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernet<sup>1</sup>. Sanat ergo contritos corde: » quia illis propinquat ut sanet; sicut dicitur alio loco: « Prope est Dominus his qui obtriverunt cor<sup>2</sup>. » Qui obtriverunt cor? Humiles. Qui non obtriverunt cor? Superbi. Contritum sanabitur, elidetur elatum. Ad hoc enim forte eliditur, ut contritum sanetur. Ne velit ergo, fratres, cor nostrum esse erectum, antequam sit rectum. Male erigitur, quod non primo corrigitur.

VI. « Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Sanat, inquit, contritos corde: » sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes, in se severum iudicium exercentes, ut possint esse illius misericordiam sentientes. Tales sanat, sed perfecta eorum sanitas transacta mortalitate fiet, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem<sup>3</sup>; quando nihil erit quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil cui consentiamus, sed nihil quod suggeratur ex carne. Etenim modo, fratres mei, quantæ illicitæ delectationes animum tangunt? Quamvis eis non consentiamus, ut membra nostra iustitiæ serviant, non iniquitati: tamen vel delectari talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas. Sanaberis ergo, corde contrito sanaberis. Noli erubescere, con-

<sup>1</sup> Psal. l, 18, 19. — <sup>2</sup> Id. xxxiii, 19. — <sup>3</sup> I Cor. xv, 53, 54.



tere cor : tales sanat Deus. Sed quid ago, inquires, modo?  
 « Condelector enim legi Dei secundum interiorem homi-  
 » nem ; video autem aliam legem in membris meis re-  
 » pugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducen-  
 » tem in lege peccati. » Quid agis? Contere cor, confitere;  
 age, dic sequentia : « Infelix ego homo, quis me liberabit  
 » de corpore mortis hujus? » Hoc enim dicere « Infelix ho-  
 » mo » jam cor conterere est. Ille speret felicitatem, qui  
 confitetur infelicitatem. Dic ergo : « Infelix ego homo, quis  
 » me liberabit de corpore mortis hujus : » ut respondeatur  
 tibi : « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum<sup>1</sup>. »  
 Quomodo autem liberabit ipsa gratia Dei, unde nunc pig-  
 nus accepimus? Audi eundem Apostolum : « Corpus, qui-  
 » dem, inquit, mortuum est propter peccatum, spiritus  
 » autem vita est propter justitiam. Si ergo Spiritus ejus qui  
 » suscitavit Jesum Christum ex mortuis, habitat in vobis ;  
 » qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et  
 » mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum  
 » ejus in vobis<sup>2</sup>. » Hoc ergo pignus accepit spiritus nos-  
 ter ; ut incipiamus fide servire Deo, et ex fide appellari  
 justi, « Quoniam justus ex fide vivit<sup>3</sup>. » Quidquid autem  
 nobis adhuc repugnat et resistit, de mortalitate carnis  
 est ; et hoc sanabitur. « Vivificabit enim, inquit, et mor-  
 » talia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus  
 » in vobis. » Ad hoc pignus dedit, ut compleat quod  
 promisit. Quid ergo nunc in hac vita, quando adhuc con-  
 fessores sumus, nondum possessores, quid in hac vita,  
 quid fiet? Quomodo curabitur? « Sanat contritos corde : »  
 sed perfecta sanitas tunc erit, quando diximus. Nunc ergo  
 quid? « Alligat contritiones eorum. » Qui curat, inquit,  
 contritos corde, quorum perfecta sanitas in resurrectione  
 justorum erit ; alligat modo contritiones eorum.

<sup>1</sup> Rom. vii, 22-25. — <sup>2</sup> Id. viii, 10, 11. — <sup>3</sup> Id. i, 17.

VII. Quæ sunt alligamenta contritionum? Sicut medici  
 alligant fracturas. Aliquando enim, intelligat et hoc Cha-  
 ritas Vestra, et notum est eis qui animadverterunt, vel à  
 medicis audierunt : aliquando prave et distorte firmata,  
 ut corrigant medici, frangunt, et faciunt vulnus novum,  
 quia mala erat sanitas prava. « Sic ergo rectæ sunt,  
 » inquit Scriptura, viæ Domini, sed pravicornius in  
 » illis scandalizabitur. » Quid est pravicornius? Torticor-  
 dius, tortum cor habens. Putat torta esse omnia quæ  
 dicuntur a Deo, putat prava esse omnia quæ fecit Deus,  
 et displicent illi omnia judicia Dei, maximeque in quibus  
 ipse corripitur ; et sedet, et disputat quam male faciat  
 Deus, quia non pro ejus voluntate facit. Distortum cor,  
 parum est quod non se corrigit ad Deum ; et Deum vult  
 distorquere ad se. Quid ergo dicit Deus desuper? Tortus  
 es, æquus sum. Si tu rectus esses, sentiret æquitatem  
 meam. Quemadmodum si in pavimento æquali poneret  
 distortum lignum, non collocaretur, undique nutaret,  
 undique agitaretur ; quod non loci inæqualitas, sed dis-  
 tortio ligni facit : sicut ait Scriptura, « Quam bonus  
 » Israël Deus rectis corde<sup>2</sup>. » Quid ergo, tortum cor  
 quomodo dirigitur ; Et tortum est, et durum : jam ergo  
 tortum et durum frangatur, conteratur, ut dirigatur. Tu  
 dirigere cor tuum non potes : tu frange, ille dirigat. Quo-  
 modo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, pu-  
 niendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tun-  
 sio? Nisi forte putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum  
 cædimus pectus. Sed significamus nos cor conterere, ut a  
 Domino dirigatur.

VIII. « Sanat ergo contritos corde, » et contritum cor  
 habentes : Et sanitas ipsius cordis tunc erit perfecta, cum  
 et corporis reparatio implebitur, quæ promissa est. Nunc

<sup>1</sup> Osee xiv, 10. — <sup>2</sup> Psal. lxxii, 1.



interea quid facit medicus? Alligat contritiones tuas, ut possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem: et ista omnia quæ loquimur vobis, ipsa quæ sonant et transeunt, quidquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam: sic in illa civitate Jerusalem, cum æquales Angelis facti fuerimus, numquid putatis ibi accepturos nos esse quod hic accipimus? Aut ibi recitandum est nobis Evangelium, ut fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt, perfecta sanitate detrahentur: sed ad eam non perveniretur, nisi alligarentur. « Sanat ergo contritos corde, et alligat contritiones » eorum. »

IX. « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans<sup>1</sup>. » Quid magnum Deo, numerare multitudinem stellarum? Hoc et homines conati sunt: viderint utrum implere potuerint; non tamen conarentur, nisi se impleturos esse sperarent. Illis dimittamus quid potuerint, et quousque pervenerint: Deo autem puto non esse magnum numerare omnes stellas. An forte numerum, ne obliviscatur, recenset? Magnum est aliquid Deo stellas numerare, cui capilli capitum numerati sunt? Manifestum est, fratres, aliquid velle Deum intelligere nos, in eo quod ait: « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis, inquit, nomina vocans. » Sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram, omnes de quibus dicit Apostolus: « In quibus

<sup>1</sup> Psal. cxlvi, 4. — <sup>2</sup> Matth. x, 30.

» apparetis tanquam luminaria in mundo. In ista, inquit, » natione tortuosa et perversa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes<sup>1</sup>. » Ipsas stellas numerat Deus: Omnes secum regnatos, omnes aggregandos corpori Unigeniti sui numeratos habet, et numerat eos. Qui indignus est, nec numeratur. Et multi crediderunt, vel multi se qualicumque adumbrata specie fidei, populo ejus applicuerunt: novit tamen ille quid numeret, et quid ventilet. Nam tanta est celsitudo Evangelii, ut fieret quod dictum est, « Annuntiavi et » locutus sum, multiplicati sunt super numerum<sup>2</sup>. » Sunt ergo in populis et supernumerarii quodam modo. Quid est, supernumerarii? Plus quam ibi futuri sunt. Intra parietes istos plures sunt, quam futuri sunt in regno Dei, in illa Jerusalem coelesti: ipsi super numerum sunt. Animadvertat quisque utrum luceat in tenebris, utrum iniquitate sæculi tenebrosa non seducatur: si non fuerit seductus nec victus, tanquam stella erit, quam jam numerat Deus.

X. « Et omnibus, inquit, eis nomina vocans: » ibi est totum præmium. Habemus nomina quædam apud Deum: ut noverit Deus nomina nostra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc satagere, quantum possumus, non de aliis rebus gaudere, nec de donis quibusdam spiritalibus. Videat Charitas Vestra: multa dona sunt in Ecclesia, sicut Apostolus dicit: « Alii quidem per Spiritum datur sermo » sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum, alii dijudicatio spirituum, id est, ut dijudicet » inter bonos et malos spiritus; alii linguarum genera, » alii prophetia<sup>3</sup>. » Quanta dixit? quam multa dixit? Multi donis talibus male usi, audient in fine, « Non novi

<sup>1</sup> Philip. ii, 15, 16. — <sup>2</sup> Psal. xxxix, 6. — <sup>3</sup> I Cor. xii, 8-10.



» vos. » Et quid dicturi sunt in fine, qui audient, « Non » novi vos? Domine, nonne in nomine tuo prophetavi- » mus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in no- » mine tuo virtutes multas fecimus? » In nomine tuo omnia ista. Et quid dicet eis? « Nunquam novi vos, dis- » cedite a me qui operamini iniquitatem <sup>1</sup>. » Quid est ergo esse jam lumen cœli consolans noctem, et quod non vincatur a nocte? « Adhuc, inquit, supereminentiorem » viam vobis demonstro <sup>2</sup>. Si linguis hominum loquar et » Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum » ut ærumentum sonans, aut cymbalum tinniens. » Quale donum est loqui linguis Angelorum et hominum? « Ta- » men si charitatem, inquit, non habeam, ærumentum » sum sonans, aut cymbalum tinniens. Si sciero, inquit, » omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero » omnem prophetiam, et omnem fidem, ita ut montes » transferam; (quanta ista dona sunt?) charitatem au- » tem non habeam, inquit, nihil sum. » Quale est illud donum martyrii, et distributionis rerum suarum? « Et » tamen si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, » et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem » non habeam, nihil mihi prodest <sup>3</sup>. » Qui ergo non habet charitatem, et si ad tempus habet hæc dona, auferentur ei. Auferetur ei quod habet, quia quiddam non habet. Et ipsum quiddam hoc non habet, unde cætera teneantur, et ipse non pereat. Quid est illud quod modo ait Dominus: « Qui habet, addetur ei: qui autem non » habet, et quod habet auferetur ab eo <sup>4</sup>? » Qui ergo non habet, et quod habet auferetur ab eo. Habet gratiam possidendi, sed non habet charitatem utendi: quia ergo illud non habet, et quod habet auferetur ab eo. Propterea

<sup>1</sup> Matth. vii, 22, 23. — <sup>2</sup> I Cor. xii, 31. — <sup>3</sup> Id. xiii, 1-3. — <sup>4</sup> Matth. xiii, 12.

discipuli, ut haberent charitatem, quos volebat facere in cœlo stellas ambulantes supereminentem viam, ille « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis » nomina vocans, » cum redirent Discipuli quo missi erant, exultaverunt, et dixerunt: « Domine, ecce spi- » ritus immundi subjecti sunt nobis propter nomen » tuum. » Et ille « qui numerat multitudinem stellarum, » et omnibus eis nomina vocans, » sciens multos dicturos esse: « Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus? » quibus dicturus est in fine, « Non novi vos: » quia eos non numeravit in multitudine stellarum, nec eis nomina vocavit: « Nolite, inquit, in hoc gaudere, quia spiritus » vobis subjecti sunt, sed gaudete quia nomina vestra » scripta sunt in cœlo <sup>1</sup>. Qui numerat multitudinem stel- » larum, et omnibus eis nomina vocans. »

XI. « Magnus Dominus noster. » Impletus est gaudio, eructavit ineffabiliter: Nescio quid dicere non valebat, et cogitare quomodo valebat? « Magnus Dominus noster, » et magna virtus ejus, et intelligentiæ ejus non est nu- » merus <sup>2</sup>. « Ille ipse qui numerat multitudinem stella- rum, numerari non potest. « Magnus Dominus noster, » et magna virtus ejus, et intelligentiæ ejus non est nu- » merus. » Quis hoc exponat? quis digne vel cogitet quod dictum est: « Et intelligentiæ ejus non est numerus? » Atque utinam infundat se vobis, et ubi nos deficimus, quia ipse potens est, ipse illustret mentes vestras, ut sciatis quid sit, « Intelligentiæ ejus non est numerus. » Videtis enim, fratres, numquid est numerus arenæ? Nobis non est, Deo est. Cui capilli capitis nostri numerati sunt <sup>3</sup>, et arena numerata est. Quidquid ergo infinitum mundus iste complectitur, etiamsi homini, non tamen Deo: parum dico, Deo; Angelis numeratum est. « Intelligentiæ

<sup>1</sup> Luc x, 17-20. — <sup>2</sup> Psal. cxlvi, 5. — <sup>3</sup> Matth. x, 30.



» ejus non est numerus. » Excedit omnes numerarios intelligentia ejus, numerari a nobis non potest. Ipsum numerum quis numerat? Numero numerantur, quæcumque numerantur. Si quidquid numeratur, numero numeratur; numeri non potest esse numerus, numerari numerus nullo pacto potest. Quid ergo est apud Deum, unde fecit omnia, et ubi fecit omnia, cui dicitur: « Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti <sup>1</sup>? » Aut quis ipsam mensuram, et ipsum numerum, et ipsum pondus, ubi Deus omnia disposuit, aut numerare potest, aut metiri, aut appendere? Ergo, « Intelligentiæ ejus non est numerus. » Conticescant humanæ voces, requiescant humanæ cogitationes: ad incomprehensibilia non se extendant quasi comprehensuri, sed tanquam participaturi: participes enim erimus. Non hoc quod capimus erimus, nec totum capiemus: sed participes erimus; quia dictum est de Jerusalem, cujus dispersiones colligit, dictum est de illa quiddam magnum: « Jerusalem quæ » ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum <sup>2</sup>. In idipsum, » quid ait: nisi quod mutari non potest? Cætera quæ sunt creata, aliter et aliter possunt esse: qui autem creavit, aliter et aliter non potest esse. Idipsum ergo ille est, quoniam dictum est ei: « Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem » ipse es, et anni tui non deficient <sup>3</sup>. » Igitur si ipse idem ipse est, et mutari ex nulla parte potest; participando ejus Divinitatem erimus et nos immortales in vitam æternam. Et hoc nobis pignus datum est de Filio Dei, quod jam dixi Sanctitati Vestræ, ut antequam efficeremur participes immortalitatis ipsius, fieret ipse prius particeps mortalitatis nostræ. Sicut autem ille mortalis, non de sua substantia, sed de nostra: sic nos immortales,

<sup>1</sup> Sap. xi, 21. — <sup>2</sup> Psal. cxxi, 3. — <sup>3</sup> Id. ci, 27, 28.

non de nostra substantia, sed de ipsius. Participes ergo erimus, nemo dubitet, Scriptura hoc dixit. Et cujus rei participes erimus, quasi partes sint apud Deum, aut per partes dividatur Deus? Quis ergo explicat quomodo sint participes unius simplicis multi? Non ergo exigatis quod apte dici non posse, puto quia videtis: sed redite ad remedium Salvatoris; conterite cor, confringatur animi duritia, conteratur animi pertinacia, accusetur in malo, renascatur in bono. Diriget ipse, alligabit fracturam, consolidabit sanitatem: et non erunt jam impossibilia nobis, quæ modo impossibilia sunt. Bonum est enim ut confiteatur infirmitatem, qui vult pervenire ad divinitatem. « Intelligentiæ ejus non est numerus. »

XII. Ideo quid debeas facere in difficultate intelligendi, ostendit tibi, cum consequenter dicit, « Suscipiens manusuetos Dominus. » Verbi gratia, non intelligis, parum intelligis, non consequeris: honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum: differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse accusare aut obscuritatem, aut quasi perversitatem Scripturæ. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est; non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, medicus illud fecit, ut pulses. Voluit, ut exercereris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret <sup>1</sup>. Pulsando exerceberis; exercitatus latior efficieris; latior factus, capies quod donatur. Ergo noli indignari quod clausum est: mitis esto, mansuetus esto. Noli recalcitrare adversus obscura, et dicere, Melius diceretur, sisic diceretur. Quando enim potes tu sic dicere aut judicare, quomodo dici expediat? Sic dictum est, quomodo dici debuit. Non corrigat æger medicamenta sua; novit ea medicus modificare: ei crede, qui te curat. Ideo quid sequitur? « Suscipiens

<sup>1</sup> Matth. vii, 7.